



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

19. Romanum decet &c. Constitutio moderatoria Donationum, &
Distributionis reddituum Ecclesiasticorum in Consanguineos, vel Affines
Romani Pontificis, seu eorum loco adlectos, ac præscribens cautelas ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

Joseph Bultetus Clericus Regiensis.

Joannes Baptista Ferrarius Laicus Mutinensis.

Raynaldi S. Mariæ de Scala Estensis.

Julius Tassius Presbyter Regiensis Diœc. Canonicus Collegiatae S. Nicolai in Carcere Tulliano de Urbe.

Dominicus de Simonibus Laicus à Trebia Spoletinae Diœcesis.

Laurentius Metteler Laicus Pifaurensis.

Petri S. Laurentii in Damaso Ottoboni.

Dominicus Libanus Clericus Aësinus.

Natalis Ancaranus Laicus Faventinus.

Caroli S. Mariæ in Cosmedin Bichii.

Abbas Felix Nigronus Clericus Lanuens.

Matthæus Herculani Clericus Diœc. Montis Alti.

Joseph Renati S. Georgii Imperialis.

Jacobus Antonius de Pretis Presbyter Urbinas.

Franciscus de Magistris Laicus Romanus.

Aloysii S. Mariæ in Porticu Homodei.

Fabius de Abbatibus Oliverius Clericus Pifaurensis.

Christophorus Antonius Severus Clericus Feretranae Diœcesis.

Joannes Francisci S. Hadriani Albani.

Pompejus Tortius Clericus Hortanus.

Antonius Simonettus Laicus Romanus.

Francisci S. Angeli in Foro Piscium Barberini.

Marchio Joannes Baptista del Drago Laicus Romanus.

Thomas Lucarellus Laicus Romanus.

Laurentii S. Mariæ in Aquiro de Alteriis Diac. S. R. E. Card. nuncupat.

Abbas Joseph Zassontius Presbyter Senensis Canonici insignis Basilicæ S. Mariæ Translyberim de Urbe.

Alexander Petrillus Clericus Lucensis. Bon. mem. Julii tit. S. Praxedis Spinulæ nuncupati defuncti.

Leonardus Calamarius Presbyter Romanus Archipresbyter Collegiatae S. Luciae de Tinta de Urbe.

Eustachius Becanus Clericus Leodiensis.

Christophorus Alexandrinus Clericus Viterbiensis.

Bon. mem. Fr. Raymundi tit. S. Mariæ Angelorum Capisucchi nuncupati defuncti.

Et Paulinus de Bernardinis Ordinis Prædicatorum Lucensis, Confessarius.

Fr. Magister Felicianus Corellus de Fulgineo Ord. Eremitarum S. Augustini Subscrista.

Joseph Michael de Rubeis Clericus Senensis cum prædicto Reverendissimo Episcopo Porphyriensi Sacrista.

Petrus Orlandus Presbyter Romanus cum dicto Secretario S. Collegii.

Henricus Tillon Clivenfis Clericus Colonienfis Diœcesis cum eodem Secretario S. Collegii.

Abbas Ludovicus Piccinus Clericus Aësinus Custos

Fontis, & Aquarum Conclavis.

Joannes Baptista Fossombronius Aretinus.

Angelus Modius de Cæsis Spoletinae Diœcesis. Medici Physici.

Marius Cecchinus de Licciana Sarzanensis Diœcesis Chirurgus.

Petrus Corfius Romanus Aromatorius.

Gregorius Moriconus Lucensis.

Paulus Matthæus ab Ereto Sabinensis Diœcesis, ejus

Auxiliatores.

Gerardus Wolff Colonienfis.

Nicolaus Martinus Pistorienfis Barbitonfores.

Paulus Joseph Manuccius ab Aqua Sparta Tudertinae Diœcesis.

Paulus Bevilacqua à Moaticello Tyburtinae Diœcesis, eorum Auxiliatores.

Stephanus Baldus Faber Lignarius.

Galpar Rinaldus Faber Camentarius.

Antonius Nicolaus Ferrarius à S. Genesio Camerinenfis Diœcesis, Famulus Magistrorum Cæremoniarum.

Alexander Silvanus.

Ambrosius Rosarus.

Andræas Campus.

Andræas Fallarinus.

Angelus Messiconus.

Antonius Baroldus.

Antonius Crovellonus.

Antonius Sella.

Antonius Cantonus.

Bartholomæus Butius.

Bartholomæus Onginus.

Bernardinus Cambronus.

Carolus Marinus.

Dominicus Gionfius.

Donatus Augustinus.

Franciscus Catenaccius.

Franciscus Cairius.

Franciscus Gonella.

Jacobus Carrozza.

Jacobus Tonginus.

Jacobus Digiolus.

Jacobus Soliva.

Joannes Cordus.

Joannes Panesius.

Joannis Nobilis.

Joannes Antonius Bianchinus.

Joannes Baptista Blondus.

Joannes Baptista Ceccarellus.

Joannes Dominicus Zonus.

Joannes Jacobus Sonfia.

Joannes Maria Bergotus.

Martinus Vaninus.

Paulus Carpentius.

Raphael Ciampus.

Sanctus Martianus.

Thomas Mancinus, Scopatores Conclavis.

Constitutio moderatoria Donationum, & Distributionis reddituum Ecclesiasticorum in Conanguineos, vel Affines Romani Pontificis, seu eorum loco adlectos, ac præscribens cautelas servandas circa signaturas earum gratiarum, quæ aliquando ægrotante Romano Pontifice per concessum fieri dicuntur.

XXI.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Romanum decet Pontificem, tanquam fidelem servum, & prudentem, quem constituit Dominus super familiam suam, in Ecclesiæ Catholicæ conspectu actum suum ita ordinare, ut ipse quidem in diebus suis placeat Deo, & inveniat iustus, fiatque forma gregis ex animo, & bonus sit Christi odor in omni loco; Cæteri vero Antistites, & Ecclesiarum Prælati in partem sollicitudinis, cujus ei commissa est plenitudo, vocati, alique Christifideles, quos caræ suæ divinitus creditos in visceribus paternæ gerit charitatis, ejus exemplo, atque præceptis caduta Mundi hujus despiciere, carnisque, & sanguinis laqueos effugere, ac de bonis, & rebus Ecclesiasticis juxta æquitatis, & justitiæ leges disponere, & spiritualium remigio alarum ad cælestia contendere, atque evolare auxiliante Domino condiscant. Hinc ad ea Sacrorum Canonum instituta, quæ Episcopis, ne bonis, & redditibus Ecclesiæ conanguineos suos augere studeant, interdunt, considerationis Nostræ aciem convertentes, etiam Nobis in suprema Beati Petri Apostolorum Principis, cui caro, & sanguis non revelavit, Sede constitutis ab ipso Pontificatus Nostri primordio servandam proposuimus, & hætenus Deo adjuvante servare studuimus disciplinam, ut in bonorum, & reddituum ad hanc Sanctam Sedem, & Cameram Nostram Apostolicam spectantium distributione

Ju-

Statuere remunerationes Pontificie ad favorem suorum ex obventionibus Cameræ excedant metameritorum.

Justitiæ, atque Prudentiæ leges, & regulas accuratè custodientes, summam meritorum, nullam autem carnis, & sanguinis, aut cujuscunque humani affectus rationem haberemus. Et licet in Dei misericordia speremus, tales Nobis succelluros Romanos Pontifices, qui non minus hac in parte, quam in reliquis munus suum impleant, & Ecclesiam Universam spiritualium aromatum odore perfundant; Nihilominus ea, quæ Nobis licere non patimur, aliis indicare, salubremque in Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Matre, & Magistra circa præmissa normam, & legem constituere, atque stabilire decrevimus.

§. 1. Habitæ igitur super his cum Venerabilibus Fratribus Nostri ejusdem S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, ac de illorum consilio pariter. & assensu ad Omnipotentis Dei gloriam, Apostolicæ Sedis honorem, ac Antistitum, Prælatorum, aliorumque Ecclesiasticorum ædificationem, & bonum exemplum, hac Nostra perpetuè valitura Constitutione statuimus, atque decernimus, salutarem hanc de cætero in dicta S. R. E. servari rationem, atque disciplinam, ut nec ab ullo Romanorum Pontificum Successorum Nostrorum ad favorem Nostrorum, sive suorum respectivè Fratrum, Nepotum, aliorumque quorumcunque Consanguineorum, seu Affinium, sive illorum, quos in locum Nepotum, aliorumque Consanguineorum per cooptationem in Familiam, aut aliter adlegi, seu adscisci contigerit, de bonis, pecuniis, locis Montium vacabilium, & non vacabilium, Officiis venalibus, illorumque pretio, creditis, redditibus, rebus, & juribus quibuscunque ad Sedem, & Cameram præfatas quovis modo spectantibus, vel quodocunque spectaturis, etiam ex emolumentis Datarie, Cancellariæ Apostolicæ, Secretariæ Brevium, spoliis Ecclesiasticorum, & quorumcunque Palatii Apostolici portionum, seu distributionum provenientibus, liberalitatis, & donationis, aliove quovis gratuito, seu lucrativo titulo directè, vel indirectè etiam servitiorum, & meritorum, quæ tamen talia non sint, ut ex lege justitiæ eam exigant remunerationem, aliove quolibet colore, seu prætextu, sive etiam supra veram ipsorum servitiorum, & meritorum rationem ullo modo in posterum disponatur.

§. 2. Quod si Fratres, Nepotes, Consanguinei, vel Affines, seu illorum loco adlecti, sive adsciti præfati inopiâ laboraverint, poterit Romanus Pontifex pro tempore existens pro timorata sua conscientia illorum paupertatem eodem omnino modo sublevare, quo Pauperum extraneorum inopiâ subvenire fas est.

§. 3. Ne autem, quod directè prohibetur, indirectè permittatur, magnorum stipendiis, seu honorariis nonnullis Sedis prædictæ Officiis, seu muneribus, quæ Consanguineis, vel Affinibus, seu adlectis, vel adscitis præfatis concedi, ut plurimum consueverunt, assignatorum ratione, stipendia, provisiones, sive salaria, & honoraria, & aliâs quomolibet nuncupari solita emolumentaria, & aliâs quomolibet antehac per Cameram prædictam in Civitate Avenionensi, & Comitatu Venayssino Nostri in spiritualibus, & temporalibus Vicario Generali, ac in illis, & vicinis quinque Provinciis ejusdem Sedis de Latere Legato præfati, & solvi plerumque solita, & consuetæ, fuerunt: Superintendentis verò Generalis Negotiorum Sedis Apostolicæ, nec non totius Militiæ, tam Equestræ, quam Pedestris Status Nostri Ecclesiastici Gubernatoris, & Capitanei Generalis, itemque Classis, & Triremium Pontificiarum Præfecti, illiusque, & illarum Commissarii, & Locumtenentis Generalis, Arciumque, & Turrium ad littora Maris tam Adriatici, quam Thyreni existentium Superintendentis Generalis, Præfecti quoque Generalis utriusque Custodiæ Corporis Romani Pontificis, ejusque Locumtenentis Generalis, item Castellani Arcis Sancti Angeli de Urbe, Gubernatoris, ut aliâs deputabatur, Civitatis Beneventanæ, cujus

tamen Gubernium ad instar aliorum prædicti Nostri Status, prout impræfentiarum servatur, remaneat, & Arcis Beneventanæ Præfecti; Item Gubernatoris Oppidi Nostri Civitatis Velle, ac demum Perusinae, Anconitanæ, & Novæ Afulanæ respectivè Arcium Præfecti, seu Castellani, Officia, & munera ipsa cum omnibus, & singulis illorum, & cujuscunque eorum juribus, prærogativis, stipendiis, salariis, & emolumentis quibuscunque perpetuè supprimimus, & abolemus, illaque deinceps, quomodocunque, & quodocunque renovari prohibemus, nec cuiquam de cætero assignari, & præstari, seu concedi, & conferri respectivè volumus, atque decernimus. Quod si pro rerum qualitate, temporumque contingentia, manifesta, urgenque necessitas munera, seu Officia Militaria hujusmodi, vel aliqua ex eis de novo institui exegerit, Viros ad illa assumi volumus, & mandamus, strenuos, & fideles, eximia virtute præstantes, reique Militaris apprime peritos, & in illa diuturno, ac probato usu exercitatos, quibus Romanus Pontifex pro tempore existens secundum datam sibi à Domino Sapientiam pro ratione laboris, industriæ, atque periculi competentia, & congruentia stipendia assignabit.

§. 4. Porro si Nostri, Successorumque Nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium Fratres, Nepotes, & alii quicunque Consanguinei, seu Affines, sive veri, sive, ut præfatur, adlecti, & adsciti, vitam Ecclesiasticam elegerint, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum, aliorumque Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum, ac annuarum pensionum super eorum fructibus consecutionis capaces fuerint, eam in redituum, & proventuum Ecclesiasticorum distributione eis faciendi servari volumus moderationem, ut non nisi juxta eorum merita, & non ultra, congruam pro gradus, vel dignitatis, quem, vel quam in Ecclesia obtinuerint, nullo ad consanguinitatem, affinitatem, seu adlectionem erga Romanum Pontificem habito respectu, sustentationem, ejusmodi redditus, & proventus Ecclesiastici eis distribuatur, quo custodiâ in omnibus Ecclesiasticæ disciplinæ, atque Justitiæ distributivæ regulâ, nemini relinquatur conquerendi, vel obloquendi occasio, sed Ecclesiastica stipendia ministrantibus in Ecclesia Dei æqua lance pro uniuscujusque merito assignentur.

§. 5. Quoad illos autem ex Fratribus, Nepotibus, aliisque Consanguineis, seu Affinibus Romanorum Pontificum pro tempore existentium præfatorum, sive veris, sive, ut præfatur, adlectis, & adscitis, quos eximii eorum ita exigentibus meritis, ad sublimem Cardinalatus Dignitatem assumi contigerit, eam quoque de cætero servari volumus moderationem, ut Ecclesiæ, Monasteria, Commendæ, aliæque cujuscunque generis Beneficia, & Officia Ecclesiastica, ac pensiones annuæ super illorum fructibus unicuique eorumdem respectivè conferenda, & commenda, & concedenda, ac reservanda, & assignanda, verum valorem annuum duodecim millium scutorum monetæ Romanæ, computatis insimul Beneficiorum, & Officiorum quibuscunque fructibus, & pensionum quantitatibus, in totum non excedant: In ea tamen taxatione non comprehendantur emolumenta Officiorum ejusdem Apostolicæ Sedis, & Romanæ Curie S. R. E. Cardinalibus demandari, seu concedi solitorum, aliorumque munerum, quæ ipsis non ad vitam, vel in perpetuum, sed ad tempus seu beneficium Romanum Pontificis pro tempore existentis demandata, seu concessa fuerint. Declarantes, quod deinceps præfati qui vitam Ecclesiasticam elegerint, seu ad sublimem Cardinalatus Dignitatem fuerint assumpti, quoscunque Titulos fructuum reservationibus gravatos, sive præventivas, vel eventitias pensiones ultra moderationem, ut supra respectivè præscriptam nullatenus assequi valeant.

§. 6. Quod si forsân (quod absit) modus circa præmissa sic congruentur, salubriterque præscriptus in posterum excedatur, curæ erit Romanis Pontificibus Successoribus, donationes gratuitas, seu lucrativas dispositiones, excessivas subventiones,

Adveniente necessitate mandari assidue idoneos cum stipendio assignando ad mensuram laboris & meritorum.

Attinentes Ecclesiasticis cum non obveniant redditibus Ecclesiasticis ultra meritum, & dignitatis gradum.

Si fuerint Cardinales providetur ut quæ ad duodecim millia annua.

Si excedatur, curâ Pontificis successoris rescindatur excessus.

mune-

Paupertas illorum sublevanda eo modo quo extraneorum.

Ad evitandam transgressionem hujusmodi moderationis sub prætextu stipendiorum in Muneribus, & Officiis secularibus illa supprimit.

munerum, & Officiorum, seu illorum stipendiorum, & emolumentorum concessiones, ac reddituum, & proventuum Ecclesiasticorum distributiones, nec non collationes, commendas, concessiones, reservationes, & assignationes, aliaque praemissa contra, vel ultra modum, ut praefertur, praescriptum factas, seu facta rescindere, revocare. & in nihilum redigere, ac ut praefertur, donata, elargita, concessa, collata, commendata, reservata, & assignata à Con sanguineis, & Affinibus, sive veris, sive adlectis, & adlectis praefatis, eorumque Haeredibus, & Successoribus respectivè, etiam manu Regia, & de Apostolica potestatis plenitudine vindicare, & auferre, ac Camerae Apostolicae applicare, & incorporare, aliisque respectivè conferre, commendare, concedere, & assignare, ac alias desuper opportunè providere, seu disponere.

§. 7. Quia verò aegrotante Romano Pontifice nonnunquam contigit, ut Signaturæ gratiarum, quæ per Concessum fieri dicuntur, modum illum excederent, quem ipse Romanus Pontifex, dum bene valebat, servare consueverat: Statuimus, atque decernimus, ut ii, quibus ejusmodi Signaturæ per Concessum à Romano Pontifice aegrotante etiam per Chirographum speciale manu ipsius Romani Pontificis subscriptum, vel alias quomodocunque committi contigerit, cujuscunque status, gradus, ordinis, & dignitatis fuerint, etiam si Cardinalatus honore praefulgeant, nullas hujusmodi gratias signare, vel expedire valeant, nisi fuerint ad illas adhibiti duo ejusdem S. R. E. Cardinales, qui una cum Signatore praefato coram ipso Romano Pontifice eas concedente, ac expediri mandante, eandem Gratiarum supplicationibus, sive minutis, aut Chirographis, aliisque concessionum scripturis subscribant, alioquin quidquid secus actum, signatum, gestumve fuerit, nullum, irritum, & invalidum, nulliusque sit roboris, vel momenti. & qui huic saluberrimæ sanctioni contravenerint, ab ipso Romano Pontifice sanitati restituto, vel ejus Successoribus condignis poenis puniantur.

§. 8. Ut autem praemissa omnia, & singula perpetuò, & inviolabiliter observentur: Volumus & Apostolica auctoritate decernimus, ut sicut ejusdem S. R. E. Cardinales in Romana Curia praesentes hanc Constitutionem, quantum in eis erit, observare, illique non contravenire, nec ullis contrafacientibus, etiam Romanis Pontificibus, consentire, nec absolutionem à juramento praestito petere, nec obtinere, aut concessam acceptare promiserunt, & jurant, idem quoque per absentes ab eadem Curia dictæ S. R. E. Cardinales, quandocunque ad eam advenerint, ac per futuros Cardinales in assumptione Pilei promitti, & jurari debeat, promissioque, & juramentum hujusmodi in formula juramenti per eosdem Cardinales praestari soliti adjungatur, & adscribatur. Occurrente autem quandocunque ejusdem Apostolicæ Sedis vacatione idem Cardinales in Conclavi, quando de observandis fel. rec. Praedecessorum Nostrorum Julii Papæ II. super electione Romani Pontificis, Pii Papæ V. ne Civitates, & loca S. R. E. infeudentur, & Sixti Papæ V. de pecuniis in Arce S. Angeli positis inde non amovendis, aliisque nonnullis Constitutionibus Apostolicis juramentum praestare solent, etiam de praesenti Constitutione per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem electus fuerit, inviolabiliter observanda, & postmodum ipse ad Supremi Apostolatus Officium assumptus post assumptionem hujusmodi hoc ipsum promittere, & jurare debeat, servatis etiam aliis omnibus, & singulis illis, quæ circa juramentum hujusmodi in praefata Sixti Praedecessoris Constitutione Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, undecimo Kalendas Maji Pontificatus sui Anno primo edita praescribuntur.

§. 9. Has quoque Nostrias Litteras in libellum redigi, & post praedictas Julii, Pii, & Sixti,

quæ in Conclavi legi solent, aliorumque Praedecessorum Nostrorum Constitutiones adjungi, & in quintero Cancellariæ Nostre Apostolicæ unâ cum aliis Constitutionibus Apostolicis adscribi, & ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, dictæque Cancellariæ, & in Acie Campi Floræ de Urbe publicari, ipsarumque praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eandem prorsus fidem, tam in judicio, quam extra illud ubique haberi volumus, quæ iisdem praesentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrearum Constitutionis, Suppressionis, Abolitionis, Taxationis, Statutorum, Decretorum, Voluntatum, & Mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo decimo Kal. Julii Pontificatus Nostri Anno Primo.

† Ego Innocentius Catholica Ecclesiæ Episcopus promitto, voveo & juro.

† Ego Alderanus Episcopus Ostiensis Cardinalis Cybo promitto, voveo, & juro.

† Ego Jacobus Episcopus Tusculanus Cardinalis Franconus promitto, voveo, & juro.

† Ego P. Episcopus Prænestinus Cardinalis de Alteriis S. R. E. Camerarius promitto, voveo, & juro.

† Ego F. Tit. S. Prædix Presbyter Cardinalis Maldachinus promitto, voveo, & juro.

† Ego Carolus Tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Card. Barberinus promitto, voveo, & juro.

† Ego Nicolaus Tit. S. Calixti Presbyter Card. Acciajoli promitto, voveo, & juro.

† Ego Gaspar Tit. S. Mariæ Transiberim Presb. Card. Carpinus promitto, voveo, & juro.

† Ego Caesar Tit. SS. Trinitatis in Monte Pincio Presbyter Cardinalis De Estrees promitto, voveo, & juro.

† Ego Franciscus Tit. S. Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis Nerlius promitto, voveo, & juro.

† Ego Hieronymus Tit. S. Sylvestri de Capite Presbyter Cardinalis Casanate promitto, voveo, & juro.

† Ego Galeatus Tit. SS. Quirici, & Julittæ Presbyter Cardinalis Marefcottus promitto, voveo, & juro.

† Ego Fabricius Tit. Sancti Chrysogoni Presbyter Card. Spada promitto, voveo, & juro.

† Ego P. Thomas Hovardus Tit. S. M. super Minervam Presb. Card. de Norfolkia promitto, voveo, & juro.

† Ego Jo. Baptista Tit. S. Cæcilie Presbyter Cardinalis Spinula promitto, voveo, & juro.

† Ego Fr. Laurentius Basilicæ SS. XII. Apostolorum Presbyter Card. de Laurea promitto, voveo, & juro.

Adnoscenda a-
liis Constituti-
onibus
jurari soliti
in Con-
clavi.

Sanctio
poenalis.

P. A. Pri-
mo 22. Ju-
nii 1692.

† Ego Jacobus Tit. S. Mariæ de Araceli Presb.
Card. de Angelis promitto, voveo, & juro.

†

†

†

† Ego M. Antonius Barbadicus Tit. S. Sufannæ
Presbyter Card. S. Sufannæ promitto, voveo,
& juro.

†

†

†

† Ego Joannes Tit. S. Petri in Monte aureo Pres-
byter Card. de Goeffen promitto, voveo, &
juro.

†

† Ego P.M. Tit. S. Marcelli Presbyter Card. Petruc-
cius promitto, voveo, & juro.

†

†

†

† Ego Joseph Saenz Tit. S. Balbinæ Presbyter
Cardinalis de Aguirre promitto, voveo, &
juro.

† Ego Fortunatus Tit. SS. Joannis, & Pauli
Presbyter Card. Carafa promitto, voveo, &
juro.

† Ego Bandinus Tit. S. Pancratii Presbyter Card.
Panciatius promitto, voveo, & juro.

†

† Ego Ferdinandus Tit. S. Clementis Presbyter Card.
de Abdua promitto, voveo, & juro.

† Ego Tullanus Tit. S. Agnetis extra mœnia Presby-
ter Cardinalis de Janfon Forbin promitto, vo-
veo, & juro.

† Ego Jo. Baptista Tit. S. Laurentii in Pane, & perna
Presbyter Cardinalis Rubinus promitto, voveo,
& juro.

†

† Ego I. B. Tit. S. Anastasiæ Presbyter Card. Costa-
gutus promitto, voveo, & juro.

†

†

†

†

†

† Ego Urbanus Sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconus
Card. Sacchetti promitto, voveo, & juro.

†

†

† Ego Fulvius SS. Cosmæ, & Damiani Diaconus
Card. Astallius promitto, voveo, & juro.

†

†

† Ego Petrus Sancti Laurentii in Damafo Diaconus
Cardinalis Orthobonus S. R. E. Vice-Cancellar-
ius promitto, voveo, & juro.

† Ego C. S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Card. Bi-
chius, promitto, voveo, & juro.

†

† Ego Aloysius S. Mariæ in Porricu Diaconus Card.
Homodeus promitto, voveo, & juro.

† Ego Joannes Franciscus S. Adriani Diaconus Card.
Albanus promitto, voveo, & juro.

† Ego Franciscus S. Angeli in foro Piscium Diaconus
Card. Barberinus promitto, voveo, &
juro.

† Ego Laurentius S. Mariæ in Aquiro Diaconus
Card. de Alteriis, promitto, voveo, & juro.

Loco ✕ plumbi.

B, Card. Prodaturus. I. F. Card. Albanus.
Visa de Curia I. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi
millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, Indictione
decimâquinta, die verò vigesima octava Junii, Pon-
tificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Do-
mini Nostri Domini INNOCENTII Divinâ Pro-
videntiâ Papa XII. Anno Primo; supradicta Con-
stitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ
S. Johannis Lateranensis, Floræ, & in alijs locis solitis,
& consuetis Urbis, per me Andream Dominicum Si-
moncellum ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papa
Cursorem.

*Agapitus de Magistris Cursorum
Magister.*

Constitutio super facultatibus Majoris Pœni-
tentiarii.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei; Ad perpetuam rei me-
moriâ.*

Romanus Pontifex omnium Christifidelium Pa-
ter, & Pastor, ejus, qui ut peccatores pretiosi
sui Sanguinis profusione redemptos salvos faceret,
semetipsum exinanivit, vices gerens in terris, ad ea
per quæ sibi cælitus commissi gregis salutem uberius
consultur, præcipuis debet, & indefessis studiis in-
cumbere, sibi que in Petro Apostolorum Principe at-
tributam potestatem, qui infallibili Christi Domini
testimonio, quidquid solverit super terram, erit
solutum & in Cælis, per se, & respectivè per alios
provida dispensatione exercere. Hujus considera-
tionis intuitu Romani Pontifices Prædecessores No-
stri Pœnitentiariæ Apostolicæ Officio, & Majori
Pœnitentiario quamplures, & amplas facultates
concesserunt, illasque aliquando, in iis præsertim,
quæ forum internum non concernebant, reforma-
runt, & quandoque ampliârunt & immutarunt,
prout rerum, & temporum circumstantiis, opportu-
nitatibus, & vicissitudinibus attentè pensatis, censue-
runt in Domino salubriter expedire.

§. 1. Alias siquidem post antiquiores Officii hu-
jusmodi status fel. rec. Pius Papa VI. Prædecessor
Noster Officiorum, & Tribunalium Romanæ Cur-
iæ reformationi Pastoralis sollicitudine intentus, ad
ejusdem Pœnitentiariæ Officium, in quo morum
censura, & animarum salus præcipuè vertitur, con-
siderationis suæ oculos direxit; habitaque desuper
cum tunc existentibus S. R. E. Cardinalibus delibera-
tione matura, ipsoque Majore Pœnitentiario, ac
ejus Officialibus auditis, ac omnibus maturè consi-
deratis, de eorundem Cardinalium consilio, quòd
de cætero perpetuis futuris temporibus pro tempo-
re existens Major Pœnitentiarius, Regens, Correcto-
res, Scriptores, & Procuratores, ac alii quicum-
que ejus Officialis, & Ministri ab eorum omnium,
quæ in tunc confectis capitulis, & prohibitionibus
continebantur, & forum internum, seu pœniten-
tiale plerumque non respiciebant, concessione, &
commissione penitus cessare, & abstinere deberent,
per quasdam suas Anno Incarnationis Dominicæ
millesimo quingentesimo sexagesimo secundo quin-
to Nonas Maji Pontificatus sui anno tertio expedi-
tas Literas auctoritate Apostolica statuit, & or-
dinavit.

§. 2. Successivè recol. mem. Pius Papa etiam
Prædecessor Noster tempus, & necessitatem, sui que in-
stituti rationem postulare perpendens, ut in multis
Romanæ Curie rebus novam deinceps formam pro-
poneret, ejusmodi verò curam ipsum impensius soli-
citare, ut ad ea in primis incumberet, quæ salutem, &
periculum respiciebant animarum, ac à præfato Pœni-
tentiariæ Officio initium capere, novamque illi pro fu-
turis facultatem statuere volens, de Apostolicæ pote-

XX.

Exordium
ex debito
Pastorali.Refertur in
genere di-
positioni-
nes Ante-
cessorum.Refertur
Constitutio
Pii IV.,
qua mode-
ratus fuit
facultates
respectu
Fori ex-
terni.Refertur
alia Con-
stitutio B.
Pii V. re-
vocatoria
concessio-
rum, etiam
vivæ vocis
oraculo.

statu